DE AMAUROSI PUBLICE LEGEBAT IN CAES. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO AD...

Francesco Paganotti



DE AMAUROSI

PUBLICE LEGEBAT

IN CAES. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD MEDICAM LAUREAM

RITE CONSEQUENDAM

PAGANOTTI FRANCISCUS

BRIXIENSIS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

1847

ALL' ILLUSTRISSIMO

SIGNORE

PAOLO GALIARDI

QUESTA TENUE PRIMA SUA FATICA

QUAL TRIBUTO D' AMICIZIA E RICONOSCENZA

L' AUTORE CONSACRA

DE AMAUROSI

Illud organon, quod prae ceteris exterius animalium commercium diffundit, illud, cujus ope rapidiores sublimioresque, nec non indefinitae fiunt perceptiones, illud, quod inter tactus modificationes primum tenet locum, imo etiam eo aliquoties indiget tactus ad objecta materialia agnoscenda, organon illud prae aliis nobilissimum atque praestantissimum oculus evadit. Oculus enim tum quoad structuram, tum quoad functionem stupendi artificii organon partem pulcherrimam, perfectioremque humani organismi constituit. Per oculum corporum colores, magnitudinem atque conformationem, per oculum internas animi modificationes, per oculum animi magnitudinem, sapientiam, omniumque virtutum germen introspicit homo. Medicus ipse in palpebrarum claustro imminentem soporem, vel delirium in aegrotantibus perlegit, detegit in pupillae nimia dilatatione affectionem helminthiacam in infantibus, quomodo in apoplecticis ex ipsius alteratione causam proximam morbi aliquoties vaticinatur.

Oculus admirabilibus efformatus partibus admirabiles et quidem innumeras agit functiones. Propter organon istiusmodi homo bona ex malis discernere valet, proprias intellectuales facultates exerit, utiliores in diem cognitiones discit, earumque perfectionem promovet atque sustinet. Quis enim felicitatem inficiari audebit illorum, qui tam mirabili, tamque ad bene vivendum necessario organo usque ad supremum diem libere utuntur, quin ullam in eo laesionem patiantur? e contra quanta et quam terrifica humani generis sit calamitas, exemplum illorum satis superque confirmat, quorum animum hujus lucis suavitas et infinita rerum varietas non amplius delectantur. Caecus enim timet ac vacillat, ejusque facies pallida, tristis et flavescens, ejus color, ejus meditationes, ejusque verba, mentis perturbationes atque animi tacita vulnera manifeste annunciant.

Hocce organon igitur adeo pretiosum ac necessarium ad physicum et morale hominum bonum, consideratum una cum aliis cunctis organis et systematibus, tribus peculiaribus morborum speciebus subjicitur, *mechanicae* nempe, *dynamicae*, et *chimico-organicae*, quibus omnibus et obnoxia esse potest quaecumque alia corporis pars. Nihilominus meo in animo est agere de morbo omnium pessimo, ideoque non immerito ab artis peritis *opprobrium medicorum* nuncupato, qui quandoque oculum afficit, et qui ab omnibus nosologis *amaurosis* dicitur.

Amaurosis sive *gutta serena* a graeco vocabulo ἀμαυ-

ρῶσις eruitur, quod obscuritatem significat. Veteres opinabantur a cujusdam fluidi gutta promanare, quae inter pupillam ac retinam circumfusa lucis radiis iter impediret; hanc vero serenam vocabant, ex eo quod pupilla naturalem colorem praeseferebat. Paulus Aeginetta sic ait: est «totius cernendi visus plerumque absque manifesto oculi affecti impedimento». Souvages ipsam a debilitate pendere voluit. Pinel in oculorum nevrosi sedem morbi retinebat, alii alio modo putarunt. Attamen in aequo ejus etymologico sensu numquam definita fuit.

Sunt vero nonnulli ophthalmojatri, qui amaurosim definiunt, illam visus imminutionem, aut perfectam abolitionem nulla in oculis manifesta organica mutatione concomitatam; alii e contra illam affectionem oculorum, in qua habetur facultatis visivae diminutio, aut vera caecitas vel a sensibilitatis excessu, aut defectu, vel retinae, nervi optici, aut cerebri partium correspondentium alteratione dependentes. Ex hac definitione sponte sequens praeprimis fluit divisio, idest amaurosis ab incitatione causari, en *sthenica*, a debilitate, en *asthenica*, a textuum organicorum laesione produci potest, seu *organica*.

Ast et aliae quoque amaurosis distinctiones ex data definitione omnino patent. Diximus hanc aegritudinem constitui vel ab imminutione, vel ab integra visus amissione: exinde haberemus amaurosim *totalem* et *partialem*, *perfectam* et *imperfectam*. Totalis et perfecta dum

464

nec rerum, nec lucis ulla adsit perceptio, et viceversa partialis et imperfecta. Partialis vocatur quando aegri aut superiorem, aut inferiorem, aut dexteram, aut sinistram objectorum externorum partem conspicere solummodo valent (visus dimidiatus, semiopia). Innumeri porro casus amaurosis imperfectae esse videntur, qui propriis characteribus, propriis nominibus notantur, atque distinguuntur. Sunt homines, qui visum valde debilem, valde infirmum possident, en *amblyopia amaurotica*; sunt alii, qui tantummodo nonnulla corpora, nonnullas literas, nonnulla signa vident, en *visus interruptus*: dum alii praecipue exordiente amaurosi ob oculos extare putant muscas aliaque insecta volitantia, en *myodipsia*, vel alia corpora lucentia, nigricantia, variopicta, serpentia, quae saepe saepius sese per aethera extollunt, et extemplo postea petunt humum, iterumque se coelo credunt, en *scotomata*. Haud infrequenter uti symptomata amaurosis imperfectae practici adnotarunt, quod objecta externa ab infelicibus aegris cernebantur splendentia, coruscantia et veluti ab ignea iride circumdata, ipsorumque mentem inopinata formidine prementia, *visus lucidus, photopsia*; dum alias propter systematis nervei, et retinae speciatim sensibilitatem diurnam lucem vix perferre valent, aut ipsam abhorrent, *photophobia*. Dantur casus amaurosis incipientis *imperfectae*, in quibus objecta nebula variantis coloris per unam alteramve diem cinereo-splendente, postea nigricanti et densissima caligine obvelata, *visus nebu-*

losus: alias e contra ingravescente morbo duplicata, *diplopia*; saepe saepius diverso picturata, nunc viridi, nunc flavo, nunc purpureo etc. *visus coloratus*: et aliquando in primo amaurosis stadio omnia externa objecta, flexa, contracta, mutilata, inversa videntur, *visus defiguratus* vel *metamorphosia*. Denique a medicis quam pluribus uti amaurosis imperfecta *myopia* et *presbyopia* considerantur.

Typus hujusce affectionis quam pluribus subjicitur mutationibus. Attamen generatim loquendo typus esse potest continuus, *amaurosis continua*, et intermittens, *amaurosis periodica*. *Hemeralopiam* caecitatem diurnam; *nyctalopiam*, nocturnam, amaurosim tum perfectam, tum imperfectam ad epocham catameniorum, ad gestationis tempus, post longum jejunium, nimiam ciborum ingurgitationem recurrentem luculentissima nobis referunt exempla. Perutilis praeterea amaurosis distinctio, quae medicam manum ad aptam, atque congruam seligendam therapiam invitat, atque cogit, a causarum ratione eruitur. Et quoad causarum diversitatem summopere amaurosis varians et relate ad naturam, et relate ad sedem esse potest *idiopathica*, vel *sympathica*; primam invenimus in amaurosi oculi affectionibus haerenti; secundam in amaurosi gastro-helminthiaca, hepatica, uterina, hysterica, hypochondriaca, haemorrhoidali, rheumatica, arthritica et sic porro. Quoad decurrendi rationem in *acutam* et *chronicam*, quoad gradum in *gravem* et *gravissimam*, quoad morbos, quibus quan-

doque sociatur in *simplicem* et *complicatam* partitur. Haec ultima amaurosis species sub duplici respectu perpendi meretur, idest complicationes vel ipso visus organo nituntur, vel in ceteris organismi partibus resident, quo in casu omnes morbi, illis oculorum exceptis, guttam serenam convolvere conspiciuntur.

In nonnullis improvisa est, ac subita amaurosis, in aliis quoddam temporis spatium plus minusve percurrit, et saepe a symptomatibus, uti diximus, exaltatae retinae sensibilitatis; tum et quando vehementibus capitis doloribus, qui haud infrequenter ab internis oculi partibus oriuntur, et ad retinam propagantur. Generatim phaenomena alia sunt objectiva, alia subjectiva; prima a medico observantur, aegrotans accusat altera. Ad subjectiva illae pertinent sensationes, per quas aeger videndi facultatem imminuere et omnino evanescere persentit, vel variis laeditur modis, et de quibus locuti sumus, quando de amaurosi imperfecta sermo fuit. Phaenomena autem, vel signa objectiva in pupillae conditionibus praecipue sedem habent, quae latior se se manifestat, quod saepius accidit, aliter imminuta, sed potissimum ampliata, ejusque figura valde mutata adparet; nunc superius, nunc inferius, nunc sinistrorsum, nunc dextrorsum versa, nunc ovalis, nunc angularis, nunc transversa animadvertitur pupilla: praeterea variis quoque mutationibus color ejus obnoxius est: nebulosum modo, modo grisescentem, aut viridescentem, vel albo-rubescentem, sive

albo - aurantiacum praesefert colorem; quibus sub circumstantiis cateractae similem adsumere potest formam; et quod plurimum medico interest, dignoscat an anterius, vel posterius, sive profundius locus extet decolorationis, ex quo certam diagnosim enunciare valebit. Ad optatum finem pervenerit etiam si unus tantum afficiatur oculus, quia sano clauso, alterius iris fere immobilis pupillam irregularem demonstrat. Notandum denique venit, quod iris in quampluribus amaurosis speciebus et casibus vel lente, aut non lucis etiam intensae stimulo obedit, etiamsi antea oculus palpebra superiori aliquantisper fricatur; et quod aegri non tantum de veris doloribus, sed nonnunquam de ariditatis tum in oculo affecto valde molestae, de plenitudinis et ponderis sensu, de vertiginibus recurrentibus, de sabuli granulis in ipsum delapsis, de adaucto oculi ejusdem, aut palpebrarum volumine, de ipsarum immobilitate, atque de aliis valde incommodis sensationibus conqueruntur.

Non aetatem, nec sexum praediligere solet amaurosis, nihilominus oculi nigrescentes, aut subnigri, quam iris cerulea, majorem praeseferunt dispositionem; et qui habitu donantur nervoso, vel plethorico polleat temperamento, foeminae epocham criticam attingentes: diathesis arthritica, scrophulosa, syphilitica, nonnullarum substantiarum abusus, uti cophaeae arabicae, cerevisiae, amaricantium, narcoticorum, uti quassiae, opii, hyoscyami, belladonnae, plumbi, stimulantium usus, nonnul-

464

li morbi, uti hysterismus, hypochondriasis, atque alii ad hanc affectionem disponuntur. Insuper congestiones ad oculos, encephali inflammatio, debilitas nervosa, obstructiones abdominales, saburrae, vermes in tubo alimentario residentes, traumata capitis, fracturae, lacerationes, puncturae in oculorum proximitate, aliaque hujus generis non raro amaurosim progignunt. Praeterea animi pathemata, corpora nimis lucentia, vel nimis exigua, diuturnus visus usus, profluviorum habitualium, et secretionum suppressio, ulcera chronica de repente evanida, exanthemata, vel impetigines retropulsae, excedentes labores, nimiique corporis conatus in hominibus eminenter sanguineis, humorum nobilium, et speciatim sanguinis et spermatis jactura, morbi diversi cerebri, et spinae dorsi, affectiones innumerae viscerum abdominalium, et denique illae omnes, quae aut orbitam, aut oculos aggredientes ipsorum admirabilem texturam, atque functionem laedere videntur, non paucam sibi vindicant causam.

Sectiones cadavericae a Fabricio Ildano, Scarpa, aliisque celeberrimis viris institutae retinam in ejus textu correptam vidisse testantur. Frequentius tamen nervus opticus alteratur in sua textura, in cerebro exostoses, indurationes, emollitiones, suppurationes, aliaeque alterationes inveniuntur, et humores serosi in ventriculis, vel cerebri hemisphaeriis locati observantur. Attamen non fidendum est per cadaverum sectiones semper mutatas et alteratas invenire partes, dum aliquoties nec

microscopii auxilio aliquid detegere potuit anatomicus, et ideo etiam debito peracto examine proximam amaurosis causam frequentius ad memoriam revocare nequit.

Duplici sub adspectu amaurosis judicium prognosticum considerandum venit, et quoad gradum visionis vitiatae, et quoad morbi diuturnitatem. Aliqua sanationis spes nobis arridet tum cum intuitus laesio nullius momenti et levis quidem evadat, et breve sit tempus, quo ipsa viget, aut conditio pathologica partiunculam tantummodo retinae adoriatur amaurosim partialem ingenerando. Itaque prognosis plus minusve fausta proferatur quando morbus ab angioidesi tum cerebrali, tum oculari dependeat, quando a viscerum abdominalium inflammatione, ab helminthiasi, ab exanthematum suspensione, a profluviorum cessatione etc. derivatur, uno verbo quando de symptomatica amaurosi tractatur, et eo magis si a simplici intuitus debilitate constituta et extemplo oriebatur. E contra ab omnibus ophthalmojatris prognosis valde dubia et anceps, ni potius infausta admittitur, tum cum systema nerveum oculi usque ab exordio morbi summo detineatur torpore, morbus ipse a temporum diuturnitate persistat, et omnibus prae oculis sint organicae laesiones ad texturam, colorem, consistentiam, formam, volumen organorum visionis spectantes. Insuper difficili negotio pristinam oculorum functionem illi amaurotici adipiscuntur, qui usque a prima morbi evolutione di-

rissimis, pervicacissimisque ab orbitae cavo incipientibus, et ad tempora, ad frontem, ad supercilium, ad caput universum propagatis doloribus excruciabantur; qui vertigines recurrentes, saevissimam hemicraniam, molestas cujuscumque generis sensationes tam ad organon ipsum, quam ad vicinia vigentes, et qui gravem et diu protractum virium generalium languorem ab humorum nobilium spermatis sanguinisque profusione, ab abusu vini alcoholisque enatum etc., inchoante morbo perpetiebantur. Denique in mentem revocandi sunt casus amaurosis in individuis epilepticis decurrentis, a vehementibus capitis ictibus, a violento et directo oculi, nervique supraorbitalis vulnere, a diuturnis internis affectionibus, a lue venerea, a dispositione arthritica, scrophulosa etc. productae; casus istiusmodi prognosim infaustam, aut valde reservatam excipiunt.

In amaurosis therapia omnia symptomata colligere, atque illorum praeprimis causas sic exacte perpendere debet medicus, ut sine hoc inutilis non solum, sed etiam damnosa sit quaecumque medendi methodus. In amaurosi ergo plethorica, vel indolis sthenicae principalis indicatio vasorum turgentium depletionem petit, ut suppressa, aut impedita nervi optici actio expediatur, ac in integrum restituatur. Potissimum itaque remedium princeps in detractione sanguinis universali situm est; ut primum vero universalis virium status phlebotomiam vetat, tunc hirudines, vel cucurbitulae

cruentae adplicandae erunt, et quidem in suppressa epistaxi circa pinnas nasales; silentibus menstruis in parte interna nympharum, in haemorrhoidum suppressione circa anum, dum huc evadant praecipue morbi causae. Instituta vasorum sanguiferorum depletione ad imminuendas congestiones encephalicas, oculares, aut pulmonales, sanguinisque adfluxum ad alia organa promovendum alvi evacuatio purgantium ope obtenta plurimum confert. Scopo adjuvante solventia interne, semicupia et pediluvia tepida, ac omnia remedia nimiam concitationem systematis vasorum infringentia, nervorumque orgasmum compescentia, opportune adhibentur.

Ad promovendam istiusmodi amaurosis sanationem congruo simul vitae regimine opus est: hinc inde quam libet capitis congestionem praecaveri oportet, lux sensibilitatis oculorum gradui adcommodetur, aer sit purus, siccus, victus nutriens, digestu difficilis minime, nutrimenta vegetabilia animalibus praeposita, potus refrigerantes, mentis animique incitatio fortior evitetur.

In amaurosi sic dicta abdominali, quae scilicet proficiscitur ex affectione viscerum abdominis plus minusve infarctorum, in subjectis vitam sedentariam agentibus, in hypochondriacis: resolventium usu graduato, ac congruo vitae regimine, quantum fieri potest, hae conditiones morbosae auferantur. Si in decursu morbi phaenomena phlogoseos prodierint, hirudines ano admotae, emollientia et leniter solventia propinanda erunt, uti calomel ad signa usque salivationis por-

rectus, dein purgantia, aquae minerales maxima cum utilitate administrantur. Dissipatis congestionis signis remedia tonico-solventia et saponacea indicantur, uti taraxacum, cicoreum, saponaria pro circumstantiis cum sale Glauberi conjuncta, vel arcano duplicato, ammoniaca, rheo etc., ita ut aliquot alvi evacuationes promoveantur. Bene etiam conducunt clysteres solventes, et unguenta, vel cataplasmata emollientia regioni abdominis affectae adplicanda, quae remedia per plures hebdomadas continuanda, et diarrhoea exorta suspendenda sunt, et in dosi minori reiteranda.

Amaurosis, quae pendet ab helminthiasi, et gastricis saburris, anthelminthicorum, purgantiumque ope, uti essent oleosa praeprimis, subinde sales medii omnes, radix jalapii, calomel, diagridium, santonina, assa foetida, valeriana, pulvis felicis maris, cortex radicis mali punici etc. saepe saepius ad sanitatem perducitur.

Dyscrasiae nonnullae aliquando etiam hunc morbum progignunt, ac sustinent, praecipue syphilitica, scrophulosa etc., tunc nulla spes salutis adest, nisi prius istae debellantur affectiones. In dyscrasia syphilitica principem locum sibi vindicat methodus antisyphilitica Dzondi, qui cum granis duobus sublimati corrosivi quadraginta efformat pilulas, et quatuor post prandium omni die sumere jubet; experientia tamen meliores ostendit effectus si vespere capiantur, singulisque diebus duae pilulae addantur usque dum dosis sublimati ad granum unum, vel unum et dimidium adscenderit. Ad

mentem illius auctoris cura inter viginti septem dierum spatium terminatur, attamen pro re nata doses sublimati modificantur.

Hocce remedium commendatur quoque in amaurosi torpida, cui ophthalmitis, vel encephalis chronica ansam dederit, ubi nervi optici, ac retinae mutationem organicam, aut orbitae tumores prementes bulbum supponere licet: verum contra-indicatur in congestione activa, in dispositis individuis ad tabem, in haemorrhagiis etc.

Amaurosis tandem, quae a debilitate nervi optici, vel ab ejus paralysi, ut illa, quae frequentissime in praxi occurrit, affectionem instituit incurabilem, vel non nisi magna cum difficultate eradicandam. Therapia initium sumat a tartaro stibiato ad vomitum ter quaterve ciendum, dein decoctum graminis cum tartari emetici granis duobus ad nauseam per tres, vel quatuor hebdomadas propinetur, quibus elapsis deponatur, ne vires digestionis nimis infrangantur. Arnica magno cum emolumento hocce in morbo propinatur; efficaciam ipsius denotant ardor ventriculi, aut scrobiculi cordis, crampi, nausea, vertigo, sudor plus minusve continuatus in regione frontali, temporalique, ac ipsae corporis concussiones: tunc vel desistatur a remedio, vel saltem minori dosi propinetur; cujus in infusu, aut decocto additur libenter tartarus stibiatus. Praeterea camphora, valeriana, gummi-ammoniacum, spiritus corni cervi, chinacca, mosthus, castoreum, stricnina, can-

tharidina, aetheres diversi in hac amaurosis specie interne commendantur.

Inter remedia localia contra amaurosim proficua extant, naphta, et omnia olea aetherea, ut oleum rosmarini, menthae, thymi, foeniculi, gummi-resinosa, ut spiritus corni cervi, remedia patenter stimulantia, videlicet tinctura cantharidum, aether vitrioli solus etc. Nonnullis guttis horum medicaminum regiones supraciliares bis de die inungendae sunt; vapores spiritus salis ammoniaci ter quaterve de die repetendi, donec sensibilitatis gradus, mediocre robur oculi, et lacrymarum fluxus prodeant: haec omnia adjuvasse asserunt. Vesicantia et caustica, emplastrum cantharidinum, frictiones stibiatae, graviori in casu etiam cauterium potentiale et actuale, in primis moxa regioni supraorbitali, temporali, aut mastoidea adplicanda indicantur. Remedia quoque impressionem cum impetu quodam cientia, ut embrochatio atque electricitas suadentur. In embrochatione debite peracta ex altitudine aqua cadat, et quo major altitudo est, eo magis aquae efficacia eminet: attamen cavendum est, ne oculus ab initio totam remedii vim experiatur: qua ratione habita per aliquot dies fomenta frigida adplicantur, et postea embrochatio per quadrantem horae duratura solummodo bis de die indicatur. Electricitas functiones vitae animalis, vegetativae, nec non systema nerveum et vasculare incitat, inde oculi sensibilitas exaltatur. Praeter hactenus allata auxilia ad promovendam amauroseos sanitatem, ubique

conveniens simul vitae regimen necessarium est. Lux sit moderata, aer purus, siccus, parcus vini, et cerevisiae usus, motus corporis non negligatur, mentis animique incitatio fortior evitetur.

Quum rationalis cura nihil proficiat, empirica medendi ratio mire convenit; illa omnia praeprimis a veteribus medicis usurpata, illa a populorum omnium consensu uti utiliora retenta medicamina adhibeantur; et ad exortos effectus attendatur: tali itaque tempore a solis juvantibus et laedentibus ulteriores indicationes desumantur.

THESES DEFENDENDAE

I.

Febris stricto sensu localis non datur.

II.

Affectio gastrica prae aliis complicationibus, ceteris paribus, febrim intermittentem sustinere valet.

III.

Non datur venenum absolutum.

IV.

Hydrargyrosis non tantum ex dosi assumpti mercurii dependet, sed ut plurimum a peculiari aegrotantis idiosyncrasia.

V.

In morbis insanabilibus empirica interdum medicina proficit.

VI.

Diagnosis amauroseos et sanatio valdopere incerta.

VII.

Loci ac tempestatum cognitio summi momenti est in dignoscendis ac curandis morbis.

VIII.

Helminthiasis in pueris diathesi scrophulosa laborantibus, nonnisi sub perfectiore corporis evolutione radicitus sanari potest.

IX.

Praesentia veneni in cadaveribus aliquando veneficium non probat.